



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

§. XIII. De Præsentia Parochi, ac duorum Testium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

contractæ Affinitatis: non ejus sororem, ob impedimentum Justitiæ publicæ Honestatis. Si verò fornicatio ejusmodi accidisset ante sponsalia cum Berthâ celebrata, posset Titius illam ducere, quam carnaliter cognovit: nam sponsalia cum Bertha forent de jure invalida, ob impedimentum contractæ Affinitatis; sicque, juxta novum Decretum Concilij Trid. non inducerent impedimentum justitiæ publicæ Honestatis.

## §. XIII.

## De Præsentia Parochi, ac duorum Testium.

Ratio Ordinis. 131.

**A**bsolutis illis Impedimentis, quæ vel Jure naturali, vel saltem Jure Ecclesiastico antiquo annullant matrimonium, superest, ut explicentur duo impedimenta jure novissimo Concilij Tridentini adjecta, & continentur versiculis illis num. 49. relatis.

*Si Parochi, aut duplicis desit presentia Testis.*

*Raptave sit mulier, nec parvi reddita ruce.*

Porro Matrimonium illud, in quo deest præsentia Parochi, aut duorum Testium, defactò communiter appellatur *Matrimonium clandestinum*: quamvis olim etiam illud dicebatur Matrimonium clandestinum, quod fiebat non præmissis denunciationibus; uti patet ex c. *Cum inhibito. de Clandestina Desponsat.* Ibi siquidem in Concilio Generali (scilicet Lateranensi, sub Innocentio III. celebrato) statutum fuit sub gravibus poenis ibidem expressis, ut cum matrimonia fuerint celebranda, ea in Ecclesijs per Presbyteros publicè proponantur, sive denuncientur, competentis termino præfixo: ut infra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat; atque ipsi Presbyteri interim pariter investigent, utrum aliquod impedimentum obstitat.

Denunciations trinx matrimonio celebrando præmittenda.

132. Et hinc saluberrimo Decreto inhærens S. Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim.* ulterius decrevit, ut imposterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus Festivis in Ecclesia inter Messarum solemnias publicè denunciatur, inter quos matrimonium sit contrahendum. Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ Denunciations remittantur; quod ipsius prudentia, & judicio Sancta Synodus relinquit. Quinimò, ut pia Sanctæ Matris Ecclesiæ intentio, in dictis Generalibus Con-

Concilijs abundè manifestata, perfectiùs adimpleatur, solent Ritua-  
lia Diocesana exigere, ut si vir & mulier, inter quos matri-  
monium est celebrandum, diversæ sint Parochiæ, in utraque Pa-  
rochia fiant ternæ illæ Denunciations: adjectis insuper optimis  
cautelis, in praxi meritò observandis, quas in proprio singula-  
rum Diocesium Rituali videre licebit. Cæterùm impræsentia-  
rum per *Matrimonia clandestina* intelliguntur illa, in quibus deest  
præsentia Parochi, & duorum Testium, jure novissimo Concilij  
Tridentini ad valorem matrimonij requisita, ut mox ampliùs  
dicetur.

133. Et quidem ejusmodi Matrimonia clandestina justissi-  
mis de causis Sancta DEI Ecclesia semper detestata fuit, atque  
prohibuit: nihilominùs tamen eadem, libero contrahentium  
consensu facta, ante Decretum Concilij Tridentini mox allegan-  
dum, rata, & valida fuerunt. Quia verò solæ prohibitiones  
Matrimonij clandestini propter hominum inobedientiam jam  
non proderant, & gravia peccata ac mala, per auctoritatem Ec-  
clesiæ ampliùs irremediabilia, ex ejusmodi matrimonijs orie-  
bantur, dum quidam priore uxore, cum qua clam contraxerant,  
relictâ, postea cum alia palàm contrahebant; sicque in statu  
damnationis, ac perpetuo adulterio remanserant; imò & lite  
desuper motâ per sententiam Ecclesiæ, cui de priori matrimo-  
nio constare non poterat, remanere compellebantur: huic ma-  
lo Sancta Mater Ecclesia haud ampliùs efficacè remedium adhi-  
bere potuit, nisi ejusmodi clandestina Matrimonia profus irritan-  
do, & cassando.

Matrimonia  
clandestina  
olim valida,  
sed illicita,  
Malaq; ir-  
remediabi-  
lia ex ipso  
orta.

134. Quare Concilium Trident. Sess. 24. c. 1. de Reform. ma-  
trim. inter alia providè sic decrevit: *Qui aliter, quam presente Paro-*  
*cho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus*  
*vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus*  
*ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irri-*  
*tos & nullos esse decernit, prout eos presenti decreto irritos facit, & annul-*  
*lat. Hæc Concilium, varias pœnas in transgressores statuens, Quo tem-*  
*& infrâ subjungens: Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in*  
*unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die*  
*primæ publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandus. Occasione*  
*quorum,*

Verba Con-  
cilij Triden-  
tini, quibus  
annullat  
matrimonia  
clandestina.  
Quo tem-  
pore Decre-  
tum ipsius  
obligare in-  
cipiat?

135. Quæritur I. Quomodo Ecclesia potuerit irritare ma-  
rimonium contractum clandestinè, hoc est, sine Parocho, & Te-  
stibus? potuerit ir-

fffff 2

titare ma-  
trimonium  
clandestini-  
um, etiam  
ut Sacra-  
mentum?

stibus? Resp. cum Pirhing *tit. de Clandestina desponsat. num. 4.* & alijs, Ecclesiam potuisse irritare, & defacto irritasse tale matrimonium, etiam ut Sacramentum est, non quidem per se ac directe, seu immediate ut Sacramentum; sed per accidens, ac mediate, annullando videlicet ipsum contractum matrimonij humanum, seu civilem, unde consequenter irritum redditur ipsum Sacramentum. Desumitur hoc ex verbis citati Concilij Trident. ibi: *Eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & ejusmodi contractus irritos & nullos esse decernit.* Confirmatur: quia hac ratione etiam invalidum est matrimonium inter consanguineos, vel à persona Ecclesiastica contractum, eò quòd tales personæ sint inhabilitatæ ad sic contrahendum, ipsique contractus auctoritate Ecclesiæ fuerint irritati & annullati.

Qualis præ-  
sententia  
Parochi  
juxta Con-  
cilium Tri-  
dent. requi-  
ratur ad va-  
lorem ma-  
trimonij?

136. Quæritur II. Qualis præsentia Parochi juxta Concilium Tridentinum requiratur ad valorem matrimonij? Resp. I. Præsentia Parochi in matrimonij necessaria, non tantum requiritur corporea, sed etiam moralis, seu habita cum intelligentia & advertentia actus. Ita Barbosa *part. 2. de offic. & potest. Episc. allegat. 32. num. 78.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 39. num. 1. & communis.* Ratio est: quia non intelligens, nequit dici præsens, *arg. l. Coram. ff. de Verb. signifi. ibi: Coram Titio aliquid facere jusus, non dicitur præsentem eo fecisse, nisi is intelligat.* Atqui Concilium Tridentinum irritavit eorum contractum matrimonialem, qui aliter quàm præsentem Parocho, & duobus vel tribus Testibus matrimonium contrahere attentabunt; ergo requiritur Parochi præsentia, non tantum physica, sed & moralis, sive humana, ita ut intelligat, quid agatur. Unde si Parochus esset ebrius, vel dormiens, non valeret matrimonium coram eo celebratum: nam dicta præsentia ejus exigitur pro forma actus.

An sufficiat  
præsentia  
Parochi vi-  
detenti, aut  
inviti & con-  
tradicentis?

137. Resp. II. Sufficit tamen hujusmodi præsentia Parochi & Testium, quamvis vi detenti, aut dolose illuc adducti intersint, dummodo probè intelligant verba, & consensum contrahentium: quinimò etiam validum est matrimonium coram Parocho invito, & contradicente contractum, quamvis tunc peccent contrahentes. Ita citati Doctores, & Fagnanus *in cap. Quæsitum. num. 7. de Pœnitent. & remiss.* qui adducit etiam Declarationem Cardinalium ita sentientium. Et merito hoc dicitur: quia Parochus assistens matrimonio, propriè non exercet jurisdictionem, sed ut Testis autorizabilis nudam exhibet præ-

præsentiam, quæ etiam exhibetur ab invito. Fagnanus c. *Quod nobis*, n. 54. de *Clandest. desponsat.*

138. Quæritur III. Cujus Parochi præsentia requiratur ad validitatem matrimonij? Resp. I. Certum est, vi Concilij Tridentini, ubi illud receptum est, requiri præsentiam proprii Parochi contrahentium, vel alterius Sacerdotis, de ipsius, seu Ordinarij licentiâ assistentis; ut patet ex verbis citati Concilij *num. 134. relatis.*

139. Resp. II. Quando sponsus & sponsa sunt diversarum Parochiarum, sufficit assistentia alterutrius proprii illorum Parochi, vel licentia ab eo alteri Sacerdoti concessa. Ita Barbosa *loc. cit. num. 98.* cum plurimis alijs, atque decisum à Sac. Congregatione testatur Fagnanus *cit. c. Quod nobis*, n. 33. & *seqq. de Clandest. desponsat.* In praxi tamen observetur ordinatio proprii Ritualis Dioecesani.

140. Quæritur IV. Quot, & quales Testes, præter proprium Parochum, requirantur ad valorem matrimonij jure novo Concilij Tridentini? Resp. I. Certum est, requiri saltem duos aut tres Testes, prout exprimit idem Concilium *loc. cit. ibi: Et duobus vel tribus testibus.* Et quidem hi Testes simul cum Parocho debent adesse, neque sufficit successiva eorum præsentia, prout notat Barbosa *loc. cit. num. 120.* cum alijs. Debent insuper iidem esse præsentem non tantum physicè, sive corpore, sed etiam moraliter, seu cum advertentia ac usu rationis, ita ut intelligant, quid agatur; prout in simili supra *num. 136.* dictum est de præsentia Parochi.

141. Resp. II. Testes quicumque rationis compotes, quamvis impuberes, consanguinei, domestici, Religiosi, famina, vel infames, sufficiunt ad valorem matrimonij. Ita Barbosa *loc. cit.* cum alijs. Ratio est: quia Concilium simpliciter requirit duos Testes, neque exigit in ipsis specialem aliquam qualitatem; ergo nulla alia requiritur præter eam, quæ Jure naturæ est necessaria ad testificandum, nempe ut quis sit compos rationis. Accedit, quòd Decretum Concilij Trident. sit correctorium juris communis; ergo non est extendendum, sed quantum patitur verborum proprietate, restringendum; eò præsertim, quòd sit irritans matrimonium, cuius causa est favorabilis, *cap. ult. de Sentent. & re judicat.*